

CAPVT VLTIMVM.

EXPOSITIO LEGIS NOSTRAE SPECIALIS,  
EIVSQUE VSVS MODERNVS. QVALIS ITEM  
SIT CONDITIO : SI SE FILIVM PRO-  
BAVERIT?

S U M M A R I A.

*Præsupponendum, Aurelium Claudium non fuisse ex concubina  
Luci Titii natum, §. 1. sed ex ejus uxore legitima. Rati-  
ones contra decisionem Pauli, & cur testamentum Lucii sub-  
sistere debeat, sive matrimonium Lucii fuerit occultum, 2.  
sive notorium, 3. & quamcunque opinionem de Aurelio Clau-  
dio habuerit Lucius? 4. Quid de Probatione filiationis Juri  
statuerint? 5. & 6. An quis vere probare possit, se esse fili-  
um? Affirmatur contra Palæottum. 7. & 8. Probatio &  
Præsumptio quomodo differant? 8. Probationes filiationis pa-  
riunt præsumtionem Juris tantum, 9. Defenditur decisio  
Pauli, & ostenditur, conditionem: Si se filium probaverit,  
non esse potestativam, 10. 11. 12. Respondetur ad argu-  
mentum sententiæ contrariæ, 13. 14. & breviter ad aliorum  
explicationes legis nostræ, 15. denique usus modernus dictæ  
legis defenditur, 16. 17.*

§. I.

**F**uerunt hæc præsupponenda tanquam hypotheses, ante-  
quam ad expositionem legis nostræ pergeremus. Jam  
igitur quæritur, an valeat illa institutio, quam *Lucius  
Titius* fecit: Aurelius Claudius natus ex illa muliere, si  
filium meum se esse judici probaverit, heres mihi esto?  
Paulus statim respondit, non valere. Nobis prius disqui-  
rendum videtur, quomodo ista verba: *natus ex illa muliere,*